

Pag. III. Anno Domini 1393. obiit strenuus miles Dominus Christophorus de Rappach in die sanctæ Andreæ Apostoli, hic sepultus apud Patrem suum Dominum Henricum de Rappach, ad cujus Anniversarium obligamur die 14. Januar.

Anno Domini 1385. obiit Dominus Henricus de Rappach, hic sepultus, cujus anniversarius peragetur, obiit in die sanctæ Lucie. Domina Catharina de Rappach, quondam consors domini Henrici obiit, hic sepulta. Et fratres debent facere anniversarium, quia suus Maritus habet dare illo die fratribus duas libras denariorum pro pitantia, Anno Domini 1358.

Pag. 34. die 24. Septembr. Anno Domini 1445. Sabbatho ante Festum Michaelis obiit Nobilis Dominus Georgius de Rappach, miles, qui fuit intimus specialissimusque fautor & amicus ordinis nec non præcipuè conventus Viennensis.

Pag. 46. die 24. Novembr. Dominus Johannes de Rappach obiit hic sepultus, qui testatus est pro fratribus duas libras reddituum in locis infra scriptis.

Pag. 49. die 13. Decembr. Domini Henrici de Rappach hic sepultus obitus suus, Anno 1385. in die Lucie Virginis.

Pag. 50. die 15. Decem. Anniversarius Sororis Kunigundis de Rappach dudum Abbatissæ S. Claræ, celebretur quia fratres omni anno recipiunt ab eâ quamdiù vivit 9. solid. denar. pro missis ad placitum suum cantandis, & tres solid. denar. pro 30. missis legendis, & post suam mortem porrigit idem Claustrum & hoc perpetuò.

Pag. 64. Sepultura Dominorum de Rappach sub lapide marmoreo juxta Chori murum. Obiit Dominus Henricus de Rappach Senior 9. Cal. Febr. 1339. ubi lit. G.

Ibidem Domina Agnes Uxor sua, obiit 6. Cal. Febr. in eodem sepulchro Georgius Filius Domini Ortolfi Tetschonis, obiit 4. Non. Decembr.

In eodem Sepulchro Domina Catharina Uxor Domini Henrici Junioris de Rappach 19. Cal. Jan. 1358.

Pag. 68. Pro beneficiis Domini de Rappach & progenitorum suorum, sicut alias invenimus in scriptis, ligaverunt se fratres ut sequetur. Videlicet quod in quatuor temporibus semper fratres habent cantare, in feria sexta, vigiliis trium lectionum, & in Sabbatho sequenti missam pro defunctis cum nota, & post vespers visitare sepulchrum ibidem ubi suum altare, & perpetuam missam ibidem cum luminibus sicut moris est & perpetuum anniversarium. Sacrista habet expendere pro sepulchro in missa & vigiliis & lampadem ardentem in nocte, tantum hoc gratis non facit.

E

CAPUT